ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: ARISTOTELES. BOETHIUS
11. Jh. Seite 11r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=951
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



aut gaudia. Non naturaliter vero sunt significatiue uoces. quas secundum po
sitionem esse dicimus. Secundum positionem uero sunt. quas ipsi sibi homines
posuerunt. ut cum dixerit aliquis primus qui rebus nomina condidit. hec substantia
dicatur aurum. hec lapis. hec aqua. et alia similia. Tales igitur uoces secundum
positionem sunt hominum et ita secundum positionem que admodum ipsis
hominibus placuit a quibus ipsa nomina formata sunt. Huiusmodi igitur uoces
que secundum positionem sunt secundum ponentium placitum sunt; sed nomen non
naturaliter significat. Apud diuersas enim gentes diuersa sunt nomina. Que autem
apud diuersa sunt ea non sunt naturaliter. sed secundum placitum eorum qui posuerunt diuersos
positionemque ponentium. Alioquin si naturaliter essent. que admodum ea
que dulcia sunt apud romanos. non eadem apud schitas amara nec acida.
sed apud ipsos quoque sunt dulcia. et apud omnes gentes eodem modo. Itaque omnia
nomina si naturaliter hisdem omnes homines uterentur. Quare quoniam naturaliter nomina non sunt. essent
nec naturaliter significant secundum placitum sunt ponentium atque auctorum et
a quibus nomina ipsa rebus impressa sunt. Est igitur nomen uox significatiua secundum
placitum. Secundum placitum autem positionemque significantium uocum. alie
tempus secum ad significationem trahunt. alie preter tempora predicantur. Tempus
secum trahunt. ut est curro et lego uel cucurri uel legi. Quecumque sunt uerba.
Omne enim uerbum cum tempore est. Nomina uero sine tempore sunt. Cum enim dico
socrates uel albedo uel aliquid huiusmodi temporibus carent. Nomen ergo est
uox significatiua secundum placitum sine tempore. Vocum significatiua
rum secundum placitum sine tempore. alie sunt quarum partes aliquid
extra significant. alie quarum partes extra nichil designant.
Hec namque uox que est socrates cum platone aliisque discipulis. que est oratio et
significatiua est. Secundum placitum. Partes namque ipsius que sunt nomina secundum
placitum sunt. et sine tempore. Nulla namque in ea imaginatio quidem temporis in
uenitur. sed habet hoc quod partes eius extra significant. Tota namque ora
tio est. socrates cum platone aliisque discipulis. sed eius pars socrates si
a tota oratione disiuncta sit significat aliquid. Nominis autem pars
nichil extra significat. Ipsius autem nominis quod est socrates quod disiunctum
a tota connexione significat partes nichil extra significat. Neque enim
so. neque cra. neque tes. neque aliquid preter totum nomen extra designat. Qua
re rectissime diffinitio constituta est. nomen esse uocem secundum placitum